

ventus sanctimonialium novae plantationis in Dobelin salutem et orationes in domino Jhesu Christo. Labili memoriae utiliter succurritur, si facta mortalium litterarum testimonio fulciantur. Hinc est quod tenore praesentium recognoscimus ac publice profiteremur, quod cum nos propter utilem emptionem quorundam bonorum et appropriationem eorundem conquisitam oppressi essemus onere debitorum, quae absque alienatione aliquorum bonorum nostrorum aliqualiter persolvere non possemus, de licentia et expresso consensu venerabilis in Christo patris et domini nostri, Wythegonis ecclesiae Misnensis episcopi, ac de libera voluntate et consensu omnium nostrorum unamini accedente, censum nostrum XXVI solidorum legalium denariorum situm in Albrechticz<sup>a)</sup>, de agris quos tenet Arnoldus civis in Lommacz annuatim solvendum, et duos lapides sepi in civitate Misne de uno macello, quod tenet Jutta relicta Hedlingsis bonae memoriae carnificis, annis singulis solvendos vendidimus perpetuae vicariae institutae in ecclesia Misnensi in honore gloriosae virginis Mariae sanctorumque Jacobi apostoli et Georgii martyris, quam discretus vir dominus Heynricus dictus de Crischow habet in praesenti, pro XII sexagenis grossorum Pragensium, quas idem dominus Heynricus nobis totaliter persolvit, iusto emptionis et venditionis titulo interveniente, hoc adiecto, quod si ante festum nativitatis Christi quod sequitur immediate illud festum nativitatis Christi proxime futurum post annum sequentem, apud eundem Heynricum vel suum successorem dictum censum pro XII sexagenis grossorum Pragensium reemerimus, ad nos ac ad monasterium nostrum dictus census redire debet libere et devolvi. Quodsi reemere pro tunc distulerimus, tunc praedictus census eisdem iuribus et libertatibus, quibus ad nos et ad monasterium nostrum hactenus spectabat, praefatae vicariae deservire debet et ad ipsam perpetuo pertinere. In cuius rei maiorem certitudinem praesentem litteram scribi fecimus ac nostri sigilli munimine solidari. Testes huius rei sunt honorabilis vir dominus H. de Gubin praepositus Haynensis, dominus Hermannus de Lubin, dominus Burchardus, Ni. de Suselicz perpetui vicarii ecclesiae Misnensis, dominus Fridhelmus plebanus in Russin, dominus C. capellanus noster, dominus Johannes rector altaris monasterii nostri, Ni. de Brûx, Friczko de Sczewicz cives in Dobelin, Thiczko de Albea et Theodericus Magnus cives in Misna et alii quam plures fide digni. Datum Dobelin anno domini M°.CCC°.XXXIII°. in crastino beatorum martirum Mauritii et sociorum eius.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Convents an einem Pergamentstreifen.

a) Albertitz, Par. Neekanitz.

### No. 411. 1333 gegen Ende Dec.

*Markgraf Friedrich eignet der Domkirche 2 Talente Jahrzins im Dorfe Schweimnitz, welche Fritzold von der Nassau von ihm gehabt und zum Zweck der Uebereignung aufgelassen hat.*

Nos Fridericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Misnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plysnensis ad universorum notitiam scripta praesentium volumus ut deducant, quod tuo talenta in villa Swimitz<sup>a)</sup> annui census apud Petrum

a) Schweimnitz, Par. Beicha.